

52. X 12  
4-278 N<sup>ro</sup> 1339

CAROLUS VINCENTIUS SARJUS

SKORKOWSKI

DIVINA MISERATIONE ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

EPISCOPUS CRACOVIENSIS

*Universo Clero Soeculari ac Regulari, curam  
animarum in Nostra Dioecesi exercenti,*

SALUTEM IN DOMINO.

---

Sanctissimus D. N. Papa Divina Providentia Gregorius XVI. dignatus est concedere Nobis ad quinquennium facultatem dispensandi ab impedimento mixtae Religionis in Matrimoniis Catholicorum cum Aatholicis in Dioecesi Nostra Cracoviensi contrahendis.

Tenorem supradictae facultatis de dato Romae 18. Junii 1833. anno, Vobis, Dilectissimi Nostri in pascendo Grege Domini Adjutores, promulgare duximus, uti et praesentibus promulgamus, quae ita sonat:

„Illustris: et Reverendissime Domine uti Frater.

„Porrectis SSmo D. N. D. Papae Divina Providentia Gregorio „XVI. precibus Dominationis Tuae, Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium directis, datis Cracoviae die 20. Aprilis „1833., sed huic Supremae Sacrae Inquisitioni ab Eodem pro opportuno examine remissis, quibus imploras facultatem dispen-

q. L. 45. 256

„sandi Tuos Dioecesanos ab impedimento mixtae Religionis, ob in-  
„veteratum abusum istis in Provinciis contrahendi Matrimonia  
„inter Catholicos et Haereticos coram Ministris A catholicis, Sancti-  
„tas Sua auditis Eminentissimorum et Radsimorum Dnorum Cardina-  
„lium Inquisitorum Generalium, meorum Collegarum, suffragiis,  
„benigne annuit pro concessione petitaе facultatis ad quinquen-  
„nium, computandum a die receptionis praesentis Epistolae, sive  
„concessionis facultatum, cum solitis tamen clausulis et conditio-  
„nibus juxta formulam a Sancta Sede adhiberi solitam in simili-  
„bus concessionibus pro aliquibus locis, in quibus (licet aegre)  
„ob graves notas causas hujusmodi dispensationes in casibus par-  
„ticularibus concedit, nempe Eadem Sanctitas Sua, facultatem di-  
„spensandi, ut supra, remittit prudenti arbitrio et conscientiae  
„ipsius R. P. D. Episcopi Oratoris in casibus tantummodo urgentio-  
„ribus exercendam, in quibus suo judicio adsit periculum perversio-  
„nis, et desit tempus recursus ad Sanctam Sedem, super quo  
„graviter Ejus conscientia oneratur, et dummodo aliud non ob-  
„stet canonicum impedimentum, facta prius coram se per par-  
„tem A catholicam jurata obligatione permittendi educationem  
„prolis tam forsitan natae quam nasciturae utriusque sexus in Re-  
„ligione Catholica, nec impediendi parti Catholicae liberum Ca-  
„tholicae Religionis exercitium, et praevia efficaci insinuatione  
„parti Catholicae faciendam, qua intelligat, praeceptum sibi imposi-  
„tum esse curandi pro viribus haeretici conjugis conversionem.

„Matrimonia vero hujusmodi celebrentur coram Parocho et  
„duobus testibus, juxta Praescripta a Sacro Concilio Tridentino,  
„extra tamen Ecclesiam, absque Parochi benedictione, omni-  
„sacro ritu omisso. Documentum authenticum conficiatur et in  
„Curia Episcopali servetur, et in concedendis Dispensationibus hu-  
„jusmodi R. P. D. Episcopus expresse declaret, se procedere no-



„mine Sanctitatis Suae, et tamquam ab Apostolica Sede specialiter  
„delegatum. — Quibus pro munere adimpletis, Salutem Tibi et pro-  
„speritatem, ut cordi est, in Domino deprecor. — Dominationis  
„Tuae. —

uti Frater

„Romae hac die 18. Junii 1833.

B. Cardinalis Pacca.

Si ergo Matrimonium ejusmodi in Parochiis vestris adten-  
tetur, considerate primum diligenter ipsas circumstantias Spon-  
sorum, ac dein clausulas et conditiones in tenore adducti mox  
Rescripti S. Sedis Apostolicae expressas, ut cognitis omnibus,  
possitis et ipsi dijudicare, Sponsisque sanum suppeditare consili-  
um, an recurrendum sit ad Nos pro dispensatione obtinenda, an  
vero omnino abstinendum a tali Matrimonio, utpote impedimento  
indispensabili laboranti. Quodsi vero, obtenta prius dispensa-  
tione, Matrimonium tale in Ecclesiis vestris celebrari contingat,  
curate diligenter, ne aliter, quam juxta tenorem praemissi S. Sedis  
Apostolicae Rescripti, celebretur.

Satagite ergo, Fratres Dilectissimi, ut a Vobis vestrisque  
Parochianis suprafato S. Sedis Apostolicae Rescripto debita re-  
verentia et obsequium praestetur, ne Nostra vestrae con-  
scientia in re tanti momenti oneretur.

Datum Cracoviae in Palatio Nostro Episcopali die 20.  
Mensis Julii 1833 anno.

**CAROLUS EPPUS.**

*Simon Majewski Can. Hon. Kielc.  
Assessor et Cancellariae  
Regens.*

THE SECRETARY OF THE  
TREASURY  
WASHINGTON, D. C.

TO THE HONORABLE  
COMMISSIONER OF THE  
INTERNAL REVENUE  
WASHINGTON, D. C.

DEAR SIR:

CAROLINE ELLIS

MISS CAROLINE ELLIS  
1000 14TH STREET, N.W.  
WASHINGTON, D. C.

MR. 2919

